

Kenn 3486

(1-12)

543

DE
VLCERIBVS
V J R G A E
TENTAMEN
HISTORICO - CHIRVRGICVM

CONSENS V
FACVLTATIS ILLVSTRIS,
PRAESIDE
D. PHILIPP. FRIDER.
MECKEL,

PROF. PVBL. ORD. MED. ET CHIRVRG.
PHYSIC. CIRCVL. SALIC. ET COMIT.
MANSFELD.
DIRECTOR. INSTIT. CLINIC. CHIRVRG.

DOCTORIS
MEDICINAE ET CHIRVRGIAE
GRADVM AMBIENS,
ERVDITORVM EXAMINI PVBLICO


OFFERT
DIE SEPT. MDCCXC.

MARTIN. SAM. GOTTLLOB
SCHMIDT,
POMERANVS.

HALAE
TYPIS HVNDTIANIS.



VIRIS GENEROSISSIMIS,
DOMINO
DE BRVNNECK,
LEGATO GENERALI COPIARVM
REGIS BORVSSIAE,
ET SVMMO DVCI COHORTV M
POMERANARVM:



DOMINO
DE R A U M E R,

LEGATO GENERALI COPIARVM

REGIS BORVSSIAE,


ET DVCI COHORTIS MILLENARIAE

PEDESTRIS,

DOMINIS GRATIOSISSIMIS

S.





C O N S P E C T V S.

I. Historia theoriae et curationis ulcerum virgæ.

- §. 1. 2. Mutatio constitutionum generalium epidemicarum.
3. 4. Lues venerea cum malis topicis.
5. Mala topica ante luem venereum cognita, nec obsoenis caussis tributa.
6. 7. *Celsi* et *Galeni* loca: huius theoria de ulceribus virgæ.
8. 9. A coitu impuro, nimio deriuata caussa ulcerum virgæ, a temporibus luxus Römani inde.
10. Subtilis theoria de decubitu humorum ex hepate, tanquam caussa ulcerum virgæ.
11. 12. Distinctiones subtile, quas medium aevum inter causas ulcerum virgæ posuit.
13. 14. Curatio eorum affectuum.
15. Primi scriptores de lue venerea respectu ulcerum virgæ non aliter senferunt, ac antecessores.
16. Methodus curatiua eadem fere.

17. 18.



17. 18. Nisi quod chemica schola commendaret
hydrargyrum.

19. Theoria noua de caussis luis venereae et
symptomatis.

20. Curatio ulcerum, ad medium nostrum sae-
culum.

II. Sententia auctoris circa theoriam et curationem ul-
cerum virgae.

§. 21. Diagnosis et differentia ulcerum.

22. De loco et tempore eorum.

23. Theoria huius mali.

24. Prognosis.

25. Indicationes curatiuae.

26. Prima: vt extirpetur virus ulcerosum, exci-
tetur inflammatio benigna.

27. Secunda: vt aboleatur nimia partium sensi-
litas.

28. Tertia; vt caueatur infectioni massiae humo-
rum.

I. Quod

1.

Quod in annorum perpetua successione
videmus, fertilitatem nunc quidem sum-
mam, nunc mediocrem, saepe nullam es-
se, quia naturae quoque sua quies, qua-
se se recolligat, est necessaria; illud idem
in hominum stirpibus et aetatibus contin-
git. Neque enim in familiis tantum, ve-
rum etiam in gentibus et populis dantur
certae aetates virorum in hoc vel illo vir-
tutis et eruditionis genere illustrium: suc-
cedunt inde multo inferiores et tanta suc-
cessione fere indigni, donec tandem reui-
uiscat iterum prisca virtus, et magnitudi-
ne sua omnium antecessorum suorum clari-
tati inducat caliginem,

2.

Eadem perpetua rerum vicissitudo obser-
uatur quoque in morborum generis humani

A 2

hi-

historia. Ab antiquis enim inde temporibus non solum certae quaedam epidemiae per annos aliquot grassabantur, siluerunt deinde per annos, imo per saecula; deinde vero aucta quasi saeuitie crudelius iterum invaserunt homines nefanda talia mala non somniantes.

Praeterea quoque *saecularem* quamdam in certis regionibus animaduertimus *epidemicam constitutionem*, quae quidem in omnibus tunc apparentibus morbis vel epidemicis vel sporadicis, tanquam constitutio generalis epidemicā praedominatur, deinde vero mutato climate physico, mutato hominum viētu, mutata tota vitae ratione mutatur, minuitur, demum cessat, neque nisi sparsim postea deprehenditur. Exemplo *leprae* veterum hoc luculenter confirmatur, quae, nisi in insulis oceanii occidentalis et in Norvegia (nomine *Spedalsked*), fere nullibi adhuc obseruatur, mediī aeiū autem vniuersalem et celeberrimam constituit epidemicā constitutionem. Exemplis *pestis* veterum, *ephemerae sudatoriae* *An glorum*, *scorbuti* *Eugalenici* aliarumque aegritudinum dilucidare possem, si modo hoc facere videretur.

3. *Luem*

3.

Luem venereum ante saeculum decimum quintum haudquaquam, praecipue non ea crudelitate neque tam vniuersim grassatam fuisse, liquet ex scriptoribus et priscis et recentioribus cuiusuis generis. Simulac vero apparuit, secum duxit horrendam cateruam malorum topicorum, quae quidem antea iam nota essent, neque tamen lui eidem tribui possent, neque nisi generalioribus caussis adscribi solerent.

4.

Topicis iisdem malis adnumeramus praesertim *vclus virgae*, quod *carolorum* nomine a medio saeculo decimo-quinto inde, nunc vero *cancrorum* (chancres) nomine venire solet. Hoc *vclus* quidem a pristinis inde temporibus obseruatum fuisse, statim ostendemus, neque tamen tribuebatur alii caussae, quam cui cetera totius corporis *vlcera*, neque alio modo curabatur.

5.

R O V S S E A V V I V S, euergetes generis humani, optime dixit, medicam artem pari

ri passu semper incedere cum lue morum et luxurie *a*), neque ibi vigere, vbi simplicitas hominum naturae conformiter viuentium et defectus culturae adhuc adest. Sic quoque plurima mala, medicorum conatus excitantia non animaduertebantur, nisi dum genus humanum vita dissolute traxerit ad corporis tenuitatem redigeret.

Antequam, apud Romanos praesertim, luxuries et libidines corpora hominum imbecillia reddidissent, ne ullum quidem vestigium deprehendimus, vlcerum virgae a libidinibus hominum originem ducentium. — In schola Alexandrina primi vixerunt auctores *b*), qui nobis de vlceribus pudendorum cum graueolentia et excrescentiis variis stipatis, imo in bubes transseuntibus, aliquid reliquerint, neque tamen ulli alii caussae hoc vitium adscripserint, nisi caussis generalioribus vlcerum, neque alio modo curauerint id malum nisi

stygpti-

a) EMILE T. I. p. 35. 36. 88. ROVSEAV juge de JEAN JACQUES T. II. p. 108. (ed. Deux-ponts. 1782.)

b) PSEUDO HIPPOCRAT. de natur. muliebr. T. II. Lind. p. 400. de morb. mulier. I. c. 20. p. 420.

sypticis, foliis myrti et mali punici; deter-
sius, velut unguento *Sufino c)* et *parthenio d).*

6.

A. CORN. CELSVS e), polyhistor ille,
qui, quidquid in veterum libris medicis
inuenierat, in vnum volumen redegit, suo
apposito iudicio, vlcera virgae quoque
vberius describit, distinguit inter humida
et sicca, illa materie purulenta scatentia,
haec vero pura: nunquam tamen respicit
ad caussam obscoenam huius mali. Seque-
las habet vlcerum condylomata, phygethe-
la, thymia, aliasque excrescentias, inter-
dum gangraenam. Si sicca fuerint vlcera,
commendat aquam calidam cum amurca vi-
ni,

c) Tenuissimum hoc unguentum constabat ex alfa-
latho, croco, balanis, myrrho, cinnamomo et
liliis. (PLIN. hist. nat. lib. XIII. c. I. p. 589.
ed. Dalechamp.)

d) Parthenium, sampfuchum, amaracum veterum
conuenire videntur cum nostratum CRY-
SANTHEMO Leucanthemo L.; MATRICA-
RIA Parthenio L., MATRICARIA Chamomilla,
et ANTHEMI nobili, forsan et cum TEVERIO
Maro. (SALMAS. homonym. hyl. iatr. pag. 10.
ed. Traject. ad Rhen. fol. 1689.

e) De re medica Lib. VI. c. 18. p. 328. (ed. Targ.
1785.)

ni, butyrum rosatum et decoctum *lycii f)*: si humida fuerint, terebinthinam cum vi-
no austero, *misy g)* cocto, croco et myr-
ra, imo cum *calce viua h)* et *chalcitide i)*
applicat. — His patet, tunc etiam tem-
poris vsum adstringentium, abstensiou-
rum, irritantium non ignoratum fuisse;
quae remedia quoque DIOSCORIDES *k)*,
praesertim amurcam et calcem viuam, re-
petit.

7.

Circa originem et theoriam mali vete-
res non anxii erant, donec Claud. GALE-
NVS *l)*, secundum systema a se excogita-
tum, quod per plura saecula dominabatur,
ad

f) Lycium veterum est THAPSIA vulgaris L.
(*Salmas. l. c. p. 59.*)

g) Misy vocat SALMASIVS vitriolum romanum:
(Exercit. Plinian. in SOLIN. p. 815. ed. Traject.
ad Rhen. fol. 1689.) WALLERIVS vero Gul,
Atrament Sten, så väl svafvegul, som orange
färga, — Lapidem atramentarium flauum. (Mi-
neral-riket p. 159. ed. Stockh. 1747.)

h) Ne itaque recentiores putent, inuentum nouum
esse —

i) Est terra, ex qua aes fundebatur. (SALMAS. l.
c. p. 773.) Lapis atramentarius ruber. (WALLER.
l. c.)

k) Lib. I. c. 138. p. 69. ed. Francf. 1598.

ad sacrum illum quaternum numerum appellans, ex melancholicis humoribus petret originem ulcerum, quae in pudendis contingunt. Ample recensuit pluribus locis l) ulcerum in pudendis obtingentium sequelas, velut phimosis, paraphimosis, verrucas, phygetha, columellas varii generis, quibus applicat siccantia, abstergentia.

Hunc sequuntur tam in theoria, quam in praxi fere omnes scriptores seriores ante barbara ipsa saecula. Sic ORIBASSIVS m) thymum vocat vlcus squalidum penis, aspera excrescentia, callosis marginibus conspicuum, commendauit ad eius curationem sicca, abstergentia. SCRIBONIUS LARGVS n) et AETIVS o) respiciunt praesertim ad diagnosin ulcerum, quae sanioso ichore, nec vero pure constituatur. THEODORVS PRISCIANVS p), MARCEL-

LVS

l) Meth. med. Lib. V. c. 17. — Defin. med. p. 389. (Tom. IV. ed. Basil. 1538.)

m) Synops. Lib. VII. c. 39. Lib. IX. c. 37. p. 116. 146. coll. Stephan.

n) De compos. medicam. c. 87. 88. p. 121. ed. Rhod. Patav. 1655.

o) Tetrabil. Lib. III. c. 14.

p) Rer. med. Lib. I. 25. fol. Argent. 1532.

LVS EMPIRICVS q), PAVLLVS AEGINETA r) commandant folia myrti, cineres herbarum s), aloen, radicem panacis t), corticem pinus, pompholyga u), lapidem haematiten aliaque multa exsiccantia, irritantia, cum interno vſu nucleorum pineorum, quibus optime decumbens humor melancholicus evacuari possit. Ipsas vero verrucas, phygethla, acrochordones et morales ficus exscindи, ferroque candardi domari iusserunt.

8.

Nunc vero a temporibus depravatorum morum et libidinosi victus gentis Romanae clare obſeruabantur eadem vlcera, tanquam sequelae coitus impuri, inordinati, nimii. Primum huiusmodi vestigium

q) De medicam. c. 33. coll. Stephan.

r) Lib. III. 3. 59. IV. 15. ed. Basil. 1533.

s) Nuperi carbones extintos in ulceribus fanoſis adhibent. MOENCH Mat. med. p. 221.

t) Forſan HERACLEVM *Sphondylium* L. vel PA-STINACA *Opopanax*. (SALMAS. in Solin. p. 90t. Homonym. hyl. iatr. p. 44.)

u) Cadmia fornacum, flores zinci. GREN'S Handb. der Chemie. Th. II. B. II. S. 566.

gium apud MARTIALEM x) deprehendi-
tur, vbi *vlcus acre, pustulaeque lucentes et*
triste mentum, sordidiae lichenes basiatorum de-
scribuntur. Deinde FLAVIUS IOSEPHVS y)
de Herode rege, libidinibus obruto, narrat,
putridis vlceribus circa pudenda decepsisse:
EVSEBIVS z) idem de Galero Maximino
tyranno, foedis voluptatibus dedito: idem
PALLADIUS, auctor historiae Laufiacae a),
de Herone quodam, qui ex mimae Alexan-
drinae amplexibus asportauerat anthracem
inguinum et ulcera cancrosa pudendorum.

Posterioris temporibus idem effectus coi-
tus impuri, nimii, saepius obseruabatur.
Sic Arabs ABV OSBAIAH b) vlcus sanio-
sum vidit in pene ex impuro cum bestia
coitu: a nimio et immoderato coitu ulcera
pudendorum cacoethea IAHIAH EBN SE-
RAPIVN c): a coitu cum muliere fluxu men-
struo

x) Lib. VII. epigr. 21. Lib. XI. epigr. 99.

y) Antiquit. Iudaic. Lib. XVII. 8. p. 597. ed. Au-
rel. allobrog. 1611.

z) Hist. ecclesiast. Lib. VIII, c. 27. 28.

a) Biblioth. patr. T. VII. scpt. 29. p. 1565.

b) REISKE opusc. med. ex monimi. Arab. p. 61.

c) Breuiar. tr. g. c. 29. fol. 85. ed. Alpag. Venet.
1550.

struo laborante MICHAEL SCOTVS d):
 a coitu cum foeda muliere *Guilielm. DE SALICETO e)* (Saec. XIII.) et *LANFRANCUS f)*, prioris discipulus. Definit hanc foeditatem mulieris *Bernh. GORDONIVS g)*, imo cautelas addit, quibus anteverti possit vlcus ex coitu cum foeda muliere, quae habeat matricem sanie, aut pure aut ventositate repletam. Easdem obseruationes reperimus apud *GUIDONEM DE CAVLIACO h)*, instauratorem melioris et masculae chirurgiae (Saec. XIV.) de remedio contra pustulas vlceratas ex concubitu cum foeda muliere.

9.

*Quamuis insuper Io. GADDESSEN i)
 et VALESCVS DE TARANTA k) ad aliam
 ori.*

- d) De procreat homin. c. 6. ed. Paris 1526.
- e) Chirurg. Lib. I. c. 42. 48. p. 316. b. ed. Venet. 1546. fol.
- f) Practic. Tr. III. doctr. 3. c. 11. f. 247. a. ed. Venet. 1546. fol.
- g) Lil. medic. P. VII c. 5. p. 206. a. apud GRVNER. Aphrodis. p. 26.
- h) Chirurg. Tr. VI. sect. 2. c. 7. p. 81. a. ed. Venet. 1546.
- i) Ros. anglic. Lib. II. c. 17. ed. 1595.
- k) Philon. pharmac. Lib. VI. c. 5. p. 498. ed. Frctf. 1595.

originem vlcerum obscoenorum simul refugerent, nimis ad sperma retentum inter glandem et praeputium, videtur tamen vniuersim fere recepta fuisse opinio de coitu impuro cum muliere menstruata aut aliis impuritatibus referta, tanquam caussa vlcerum veretri. Sic saeculo XIV. adhuc MAGNIVS ^{l)} quidam vlcerationem virgae deriuauit a coitu cum figura inconueniente. Plura argumenta adhuc restant, quibus liquet, quam anxie inquisuerint veteres caussas nimis subtiles in re tam clare patente. Quicunque historiae medicae nomen dat, ei tales animaduersiones vndeque sese offerunt.

Pauca tantum addam vestigia originis vlcerum virgae dolorificorum, profundo-rum, callosis marginibus stipatorum ex fornicatione et coitu immoderato: et quidem desumpta ex scriptoribus ante medium saeculum XV. — Thom. GASCOIGNE ^{m)}
vlcera

^{l)} De regim. sanit. P. III. c. 5. ed. Lugd. 1717.
Male quidem HALLERO dicitur hic liber ex ARNOLDO VILLANOVANO exscriptus. Omnino diuersus est. Cf. HALLERI Bibl. med. pract. T. I. p. 449. Unicum fortasse exemplum, ubi Hallerus tam graviter sit hallucinatus.

^{m)} Philos. Transact. Vol. XXXI. p. 47. sq.

vlcera saniosa cum consumtione pudendorum se obseruasse ait in plurimis sui aeti hominibus, qui libidinibus sese dederant, praesertim in *Villo* quodam, narrat quoque iisdem vlceribus cacoethibus deceſſisse Ioannem *Gaunt*, Ducem Lancastriae. — Lasciuus ille poeta Franc. *VILLON* ⁿ⁾ vlcera cancroſa (chancres) inter sequelas libidinum suarum recenſet. — Alia exſtant poemata *PACIFICI MAXIMI* ^{o)} quibus quoque vlcera, quae priapus marcidus foetido ore gereret, puellarum conuerſationibus tribuuntur. — Eamdem originem ſtaruit quoque Petrus de *ARGELATA* ^{p)} et transiſum vlcerum in bubones ipſe obſeruauit.

10.

ⁿ⁾ Oeuvres p. 140. ed. *Formey*. 1740. apud *HENSLER* Gesch. der Lustſeuche. p. 323. et *GRVNER* Aphrodis. p. 32.

^{o)} edita 1489. apud *SANCHEZ* apparit. de la malad. veneſ. p. 110. *HENSLER*. I. c. p. 310. *GIRTANNER*. Abb. von der Lustſeuche Th. I. p. 19. *GRVNER* I. c. p. 33.

^{p)} Chirurg. Lib. II. tr. 30. c. 3. ed. 1531. fol. — Scriptus est liber a. 1442, *HALLER* bibl. chirurg. I. 165.

10.

Longe alia autem simul cum hac theo-
ria regnauit ad medium saeculum XVI. a
GALENI temporibus inde de ulceribus vir-
gae, nimirum quod ex decubitu quodam
humorum deprauatorum in hepate oriri
tantum possint. Principium quidem huius
theoriae ex priscis protophilosophorum
Graecorum temporibus repetere debemus,
vbi sedes partis animi ἐπιθυμίας, (concu-
piscientis) quaerebatur in hepate. Haec
quidem opinio in vita communi et in scho-
lis philosophorum tam generatim viguit,
ut demonstrare nequeamus, vtrum fuerit
a philosophis primis excogitata, an popu-
lare tantum commentum. In veteribus
poetis nil facilius deprehenditur, nil fre-
quentius eadem idea, cuius exemplum pe-
tere licet tantum ex uno alteroue loco q).

PLATO vero r), qui in Timaeo suo ve-
teres fere omnes mythos, veterumque
phi-

q) Horat. Lib. I. od. 25. Cum tibi flagrans amor
et libido, quae solet matres furiare equorum,
faeviet circa iecur ulcerosum — — Cf. Proverb.
Salom VII. 23.

r) Tim. p. 387. 389. sq. ed. Bipont. 1786. Opp.
Platon, T. IX.

philosophorum pleraque commenta collegerat, fusim de mortalis animae sede dupli et in thorace et in hepare loquitur, cui posteriori adscribit concupiscentiam animalem, diaphragmatisque officium in eo constituit, ut brutalis haec anima ab immortalis, rationali, eo curatius discriminetur. His plane gemina legeris apud ALCI-
NOVM ^{s)} et ipsum GALENV M ^{t)}), ex quo deinde tota sectatorum cohors idem dogma suscepit et ad morborum variorum explicationem adhibuit. — Cum quoque deinde Platonis doctrinae a superstitionis et fanaticis hominibus cum orientali philosophia saeculo tertio et quarto coniungerentur, haec theoria quoque de hepatis domino in amorem physicum, magna cepit incrementa et adeo exprimebatur, quasi hepar sit viscus dominans in genitalibus, iisque praefectum.

II.

Tali modo itaque melius declaratur theoria ulcerum aliorumque affectuum veteri

^{s)} Instit. Platon. c. 17.

^{t)} De usu part. Lib. IV. c. 12. Casp. Hoffm. Comment. in Galen, de usu part. p. 73.

retri ex decubitu humorum cholericorum et melancholicorum ab hepate inde ad genitalia. Hinc quoque clarius patet nexus haemorrhoidum cum ulceribus penis, qui praecipue satis celebrabatur saeculis barbaris, cum haemorrhoidum nomine veniret quidquid anum afficeret u).

Tam acriter adhaeserunt medici seriores ad saeculum XV. vsque huic theoriae, quoniam plures clerici *gomorrhia x)*, *carolis y), acruarod z), formicis* laborabant, quorum malorum originem ex obscoeno illo fonte repetere haud audebant medici. — Primus autem, qui hanc theoriam speciatim ad vlcera pudendorum explicanda adhibuit, fuit Arabs *IAHIAH EBN MASA JAWAIHV a).* Hic primus *formicam* dixit vlcus pudendorum,

u) *Hensler Gesch. der Lustfeuche* S. 300. 301. Haemorrhoides quoque broches dicebantur. *Hensler l. c. p. 327.*

x) *Gomorrhia mutabatur ex Gonorrhoea. HENSLER Gesch. der Lustfeuche.* S. 170.

y) *Caroli a carie. HENSLER l. c. S. 221. sq.*

z) *Acruarod pro acrochordon - verruca. GRVNER Aphrodit. Glossar. adiecit.*

a) *Practic. Summ. II. part. 2. sect. 2. c. 2. fol. 238. Summ. III. part. 4. sect. 1. c. 14. fol. 185. b. ed. Venet. 1583. fol.*

rum, ob sensum vrentem, punctorium, quo iungitur. Ex cholera adusta et praefertim grossiori deriuare satagit ortum formicæ malignæ (vleris corrosiui, cacoethis,) tractat haec vlcera quoque non alio modo ac cetera corporis vlcera, stypticis nempe corrosiuis, glutinosis, nisi quod *herbae quinqueneriae b)* insignem tribuat virtutem contra haemorrhoides et affinia mala. — Quanquam margines callosos iam in iisdem vleribus obseruauerit EBN SINA c), tamen a cholera adusta eadem deducit, sicut alia vlcera, distinguit acute inter choleram subtilem, quae in exteriori superficie tantum vlcus subsistere sinat, quod tum *formicæ ambulatoriae d)* nomine veniat, et choleram grossiorem, quae faciat *formicam corrosiuan*, depascentem interiora magis. Deinde vero, si phlegma sit admis-

tum

b) *POTENTILLA reptans* siue *PLANTAGO major* L. HENSLEI l. c. p. 293. Magna vis inesse putabatur huic herbae, ob harmoniam quinque venarum suppositiarum haemorrhoidalium, cum quinque foliorum nervis. Nic. MYREPPVS Dispensat. med. p. 379. (ed. Francf. 1515.)

c) Can. Lib. III. fen. 20. tr. 2. c. 20. p. 702. ed. Basil. 1556.

d) *Erythipelas* penis vocabatur a CONSTANTINO Lib. VII. c. 15. (Opp. ed. Basil. 1536.)

stum cholerae, oriri *formicam miliaren*; si nigra euaderet pustula aut vlcus, appellabatur *pruna*: *ignis pericus* vero, si valde depascens et vrens esset, cum margithibus splendide rubentibus. Eamdem hypothesis cum ALSAHARAF e), EBN ROSHD f), BRVNO g), LANFRANCO h), GORDONIO i) fere omnes scriptores verbotenus fere repertunt.

12.

Aliam distinctionem, parum diuersam ab hac, effinxit ROGERIVS k) a frigida et calida intemperie desumptam: illam agnouit, ubi punctionis et mordicationis sensus cum rubore excluderetur, hanc vero praesentibus his symptomatibus. Eidem hypothesi fauere se monstrarunt non pauci, praesertim GVILELMVS DE SALICETO l), LANFRANCVS m), qui praecipue a ventositate aut frigidis humoribus in-

B 2

tra

e) Pract. tr. XXIX. c. 9. ed. Aug. Vindel. 1519.

f) Collig. lib. VII. c. 31. ed. Venet. 1560.

g) Chirurg. lib. II. c. 5. ed. Venet. 1546.

h) I. c. i) I. c.

k) Practic. tr. I. c. 56. ed. Venet. 1546.

l) m) I. c.

tra pellem et cutim n) deriuauit vlcera frigidii generis, et apostemata: haec modo dura dixit, iam moliora, ipseque C O N R A D V S S C H E L L I G o), primus luis venereae ipsius obseruator, qui veteribus omnibus sub formicæ nomine fuisse nota vlcera penis, et recte quidem, monuit.

13.

Methodus curatiua his theoriis et hypothesibus fere analoga fuit. Cum humores noxii cholerici aut melancholici pecare maxime dicerentur, nil magis curæ cordique habuerunt medici, quam hanc materiam ex corpore eliminare, hinc cholagogia commendant A B V B E K E R A R R A - s i p), E B N S I N A q), G V I L D E S A L I C E T O r) (hic praesertim hermodactylos s), ipse-

- n) *Pellis et cutis! aut cutis et caro.* H E N S L E R über den Ausfall im Mittelalter S. 45.
- o) *In pustulas malas salubre consilium apud H E N S L E R.* Gesch. der Lustl. Excerpt. p. 1. fq GRV- NER Aphrodis. p. 40.
- p) Contin. tr. III. lib. 22. c. 1. (ed. Locatell. Venet. fol. 1542.)
- q) r) l. c.
- s) *Hermodactyli veterum erant tubera C O L C H I C I I l y r i e i s. I R I D I S t u b e r o s a e (S A L M A S. homen. hyl. iarr. p. 209.)*

ipseque CONRAD. SCHELLIG t): alii phlebotomiam, velut ROGERIVS u) et HALY ABBAS x). — Externa autem remedia erant pro caussa et symptomatibus diuersa. Si calida fuerint et faniola ulcera, vnguentum diaphoenicum, velut iABVL CASEM y), vnguenta e cerussa, vt HALY ABBAS z) et ROLANDVS a), saponacea, mollientia, secundum ARNOLDVM b), acetum vini aut petias cum aceto imbutas c), quas GVILIELMVS DE SALICETO d), vnguenta alba camphorata aut oxycratum, quod GVIDO DE CAVLIACO e), acetum camphoratum, quod IO. DE GADDES DEN f), aut lithargyrium siccum, quod VALESCVS DE TARANTA g), psyllium vero, plantaginem, faenugraecum cum tota fere antiquitate adhuc CONR. SCHELLIG h) adhibuit.

Tunc

t) l. c. u) l. c.

x) Pract. VIII. 21. (ed. Lugd. 1523.)

y) Chirurg. lib. II. sect. 56. p. 269. (ed. Channing. Oxon. 1778.)

z) l. c.

a) Chirurg. lib. III. c. 37. (ed. Venet. 1546.)

b) Breuiar. lib. II. c. 43. p. 1288. (ed. Basil. 1585.)

c) Petia erat fragmentum, frustum. (DV FRESNE DV CANGE Glossar. med. aeu. T. III. P. I. p. 171. (ed. Basil. fol. 1762.)

d) - - - h) l. c.

Tunc quoque abstersiuā, alcalina, caustica addiderunt, nimirūm gossypium cum vnguento aegyptiaco, cortices granatrum *i*), picem graecam *k*) et cineres lignorum, vt T R O T V L A *l*), decocta ex branca vrsina *m*), aloen, thus, mastichen, saluiam, balaustia (P V N I C A E Granati flores) asphodelum praeципue, gallas, ipsum alumen, tutiam, vitriolum, flores aeris. — His denique, si frigidum et durum praeferunt vlcus esset, iunxerunt caustica actualia, et cultellum: arsenicum his quoque addidit G V I D O D E C A V L I A C O *n*), quem nuperis temporibus fecuti sunt plures præter F A B R I C I V M H I L D A N V M *o*) —

14.

*i) ABVL CASEM l. c.**k) Vel Gummi laricis vel Terebinthina veneta ex PINV larice L. (SALMAS. Exercit. Plin. p. 357. PALLAS flor. Ross. P. I. t. 1.)**l) De curand. aegrit. c. 50. (ed. Franz. 1778.)**m) HERACLEVM Spondylium L. — His præferunt remediis sarcotica vis et suppuratoria adscribatur, quibus immediate et pus bonum et caro bona progignantur.**n) l. c.**o) Cent. VI. obs. 15.*

14.

Mercurius apud veteres graecos venenum fortissimum credebatur *p*). Primus, qui de ejus vsu aliquid meminit, videtur esse PAVLLVS AEGINETA *q*), vbi calcinatum allegat: Arabs IAHIAH EB N MASAIAWAIHV *r*) de vsu externo hydrargyri praeparati in variis morbis cutaneis loquitur. — Vnguenta vero ipsa mercurialia primus in ulceribus malignis usurpare dicitur ALSAHARAF *s*), deinde vero CONSTANTINVS *t*) et GORDONIVS *u*).

Praeseruatiua methodus praecipue viguit apud priscos scriptores de ulceribus virgae: omnes in eo laborarunt, ut post coitum immundum anteuerteretur contagium. GUILIELMVM DE SALICETO et LANFRANCVM *x*), loco omnium, allego, qui praecipue in eo sudauerunt, ut acetum, tanquam praestantissimum alexiterium

et

p) DIOSCORID. de medic. mat. lib. V. c. 64.

q) l. c. lib. VII. c. 15.

r) l. c. lib. III. c. 5.

s) l. c. tr. VX. c. 8.

t) l. c. lib. VII. c. 20.

u) l. c. P. II. c. 8.

x) l. c.

et prophylacticum commendarent, cum
urina fani hominis, pulueres etiam sym-
patheticos, qui venenum attraherent, ex
bolo armena, asphodelo, sanguine draco-
nis etc. confectos. A stypticis autem iam
cavere monet Petr. ARGELATA^{y)}), pae-
sertim si absque discriminē adhibeantur,
quippe quae facile bubones attrahant.

15.

Cum vero lues venerea, quibuscumque
fuerit demum ex caussis, inuasisset orbem,
primum imminentis phaenomenon obser-
uabatur idem vlcus virgae, neque primis
XXX aut XL annis gonorrhœa vnquam ob-
seruabatur z). Quamvis itaque inter prima
luis venereae symptomata vlcus virgae nun-
cuparetur, miramur merito, tam parum
accuratam fuisse primorum scriptorum hi-
storiam vlceris, tam parum eosdem quoque
discessisse a veteri methodo eadem curan-
di. Hoc quidem declaratur melius ex opi-
nione

y) Chirurg. tr. XII. c. 1. p. 275. (fol. Venet. 1499.)

z) HENSLER Gesch. der Luftl. S. 186. --- HO-
WARD über die Luftl. Th. I. S. 5. --- ASTRVC,
de morb. vener. Lib. I. c. 12. p. 79. (ed. Paris
1738.) --- GIRTANNER Abh. von der Luftl.
B. II. S. 119. 120.

nione medicorum istius aeui, iam diu suis-
se cognitum hoc malum, cum descripse-
rint prioribus temporibus sub *carolorum*,
formicarum nomine.

MARCELLVS quidem CVMANVS a)
primam exhibet descriptionem mali :
oriri pustulis sub praeputio vel extra
praeputium, sicut granum milii, aut su-
per glandem vrethrae cum aliquali pruritu :
aliquando incipere pustulam vnam in mo-
dum vesiculae paruae sine doloris sed cum
pruritus sensu: deinde ulcerari tanquam
formicam corrosiunam. Vocat quoque ca-
rolos, qui iam diu noti erant. — Petr.
PINCTOR b) sub *alubumatae* nomine pustu-
las istas siue ulcera foeda describit, quae
praecipue late serpent, neque adeo pro-
fundum depascant, doloribus autem acu-
tissimis excrucient. Eodem modo loqui-
tur WENDELINVS HOCK c), qui quidem
plurima transcriferat ex ALMENAERIO,

PIN-

a) Obseru. med. p. 29. sq. apud WELSCH Syllog.
curat. et observ. medic. 4. Aug. Vindel. 1667.

b) Tract. de morbo foedo et occulto. Apud HENS-
LER. Gesch. der Lustl. Excerpt. P. 47. G.R.V.-
NER. l. c. p. 93.

c) Mentagra s. tract. de morbo gallico: apud AL-
LUSIN, Aphrodis. T. I. p. 310.

PINCTORE, TORELLA aliisque. Optimam descriptionem vlcerum sui temporis dedit IOANNES DE VIGO ^{d)}, qui ad coloris varietatem, ad doloris magnitudinem, ad margines callosos et ad propensionem respicit vlceris latius proserpendi. Ex pustulis miliaribus saepius sequitur vlcus verum, totum penem occupans, quod praecipue accidit, si ad perinaeum aut ad basin penis oritur vlcus. Alioquin sanie ichorosae enormis copia effluit, fistulasque curatu perquam difficiles producit. Nonnunquam, et fere plerumque oriuntur excrescentiae, qui in cancrosum vlcus transire amant. Saepius ab erosione vasorum haemorrhagiae haud compescendae oriuntur, alias transit malum in sphacelum. Haec ex TORELLA et IOANNE DE VIGO.

16.

Theoria et curatiua methodus, quas sibi effinxerunt primi luis venereae scriptores de vlcere venereo, fere eadem fuerunt, quales iam antea signauimus in priscis auctoribus: si tamen recesseris ab eo, quod magis respexerint nuperi ad astrolo-

gica

^{d)} Pract. P. II. L. IV. p. 210. 8. Lugd. 1561.

gica commenta et ad constellationes, tan-
quam cauſſas luis venereae vniuerſas. e) —

Cum experientia quoque aperte atque
manifesto doceret, remedia styptica alia-
que, quae olim maxime usurpabantur,
plus nocere, ab vſu eorum medici magis
abſtinuerunt, vel saltim nonnisi summa
cum cautione adhibita cum internis pur-
gantibus coniungere fatererunt f) — Iam
itaque vnguenta mercurialia primum a BE-
RENGARIO CARPENSI, Gabr. FALOP-
PIA et IOANNE DE VIGO commenda-
bantur, ita quidem ut curatissime praepa-
rarentur aegri ad eiusmodi medelam et
nonnisi dimidia aut $\frac{2}{3}$ hydrargyri adhibere-
tur g). — Deinde idem IOANNES DE
VIGO fumigationes cum hydrargo quo-
que suasit adhiberi in ulceribus penis can-
crosis, cui fauet quodammodo PERENOT-
TI DI CIGLIANO h). — Cum vero
guaias

e) De his vid. HENSLER Gesch. der Lust. S. 3. sq.
et Ios. GRÜNPECK Tract. apud GRVNER. l. c.
p. 63.

f) Ant. BENIVENIVS de abdit. morb. cauſſ. p.
259. ed. Venet. 1529. Iac. CATANEVS apud
Aloys. LVISIN. Aphrodis. T.I. p. 329.

g) PERENOTTI DI CIGLIANO del vario modo
di curare l'infezione venerea c. 3. p. 75. To-
rin. 1789.

h) l. c. c. 5. p. 113.

guaiaci lignum, radix sarsaeparillae alia-
que vegetabilia saeculo medio XVI. coepe-
rint vigere, his hydrargyri usus pene sup-
pressus est. Non in lue solum venerea ipsa,
verum etiam in ulceribus penis, quae ab
infectione ipsa, velut mala idiopathica,
orientur, neque essent symptomata luis
ipsius, a COLLO i), WYERIO k) aliisque
veteris methodi Galenicae asseclis defende-
bantur, quibus quoque seriores plurimi scri-
ptores saeculi XVI. adhaeserunt, velut Io.
LANGIVS l), IO. FERNELIVS m), Julian.
PALMARIVS n), Hieron. CAPIVACCIVS o)
aliique. His adnumerandi veniunt nuperi
arcanorum mercatores, qui gloriantur,
absque mercurio se posse penitus fugare
morbum venereum.

17.

- i) Cosmetor medicaeus triplex fol. Venet. 1621.
apud ASTRVC. l. c. p. 574.
- k) Observ. rar. 4. Basil. 1567. Cf. Vlr. von HVT-
TENS Buch von der wunderlichen Arzney des
Harzes Guaiacum. 4. Strasb. 1519.
- l) Epistolae medicinales. 8. Franc. 1539. p. 904.
- m) De luis venereae curatione. c. 15. p. 579. 8.
Batav. 1580.
- n) De morbis contagiosis libr. VII. 4. Lutet. 1578.
apud ASTRVC. de morb. vener. p. 132. (ed.
1738. Paris. 4.)
- o) De lue venerea. 8. Spir. 1590.

17.

Deinde vero, cum *Paracelsica* et *Che-mica* schola plures sibi acquireret asseclas, cumque vegetabilibus suis nil plane moliri viderent medici, iterum refugere coeperrunt ad mercurii internum usum in lue consummata, ad externum vero in ulceribus penoris, quae nunc iam ubique venerea habebantur, neque ex alio fonte originem du-cere credebantur.

18.

Mercurium sublimatum corrosuum externe in ulceribus adhibuerunt iam saeculo XVI. varii chirurgi, praesertim vero Petrus VAN DER STYLLE p) et Alex. PE-DIMONTANVS q). Cum causticis simul etiam sublimatum mercurium externe applicat Ambros. PARAEVS r). Interne vero varia mercurii praeparata propinabantur maxime ab asseclis scholae chemicae, qui ideo bella saepe acerrima cum Galenicae do-trina defensoribus gesserunt. Antonius

FRA-

p) Chirurg. Handb. p. 211. ed. 1611. 8.

q) De secretis p. 110. ed. Lugd. 1561. 12.

r) Opp. lib. XVIII. p. 719. ed. Guillemaux. 1582. fol.

FRACANCIANIS), Io. CRATO DE KRAFT-HEIM ^{t)}), Hercules SAXONIA ^{u)}), Ios. QVERCETANVS ^{x)}), Eustach. RVDIVS ^{y)}), Paulus DE SORBAIT ^{z)} modo mercurium praecipitatum rubrum, iam turpethum minerale, maxime vero mercurium dulcem cum absorbentibus iunctum, imo ad salivationem vsque dandum, suaserunt.

Ipsum vero internum vsum mercurii sublimati in vlceribus virgae praecipue Richardus WISEMAN ^{a)} ita suasit, vt binas drachmas eiusdem cum eadem portione cinnamomi; galangae, curcumae et croci dimidia parte infunderet aquae fumariae libris binis, et in balneo mariae per nychthemeron afferuatam mixturam postea colaret. Cum his mercurialibus, quibus SENNERTVS ^{b)} quoque addit mercurium nitro-

^{s)} De morbo gallico fragin. 4. Batav. 1563.

^{t)} De morbo gallico comment. p. 65. 8. Fr. 1594.

^{u)} Luis venereae perfect. tractat. 4. 1597.

^{x)} De pricar. philosoph. verae medic. mater. p. 117. 8. Genev. 1603.

^{y)} De morb. occult. et venenat. Lib. V. c. 18.

^{z)} Praxis medica. 1682. fol.

^{a)} Eight chirurgical treatises. Vol. II. lib. VIII. p. 306. (ed. Lond. 1734. 8.)

^{b)} pract. lib. VI. P. IV. c. 23. p. 1028. (ed. fol. Lugd. 1666. T. IV.)

nitrosum, semper decocta lignorum, prae-
cipue guaiaci, iungebantur. Quae qui-
dem methodus, interna remedia cum ex-
ternis causticis exhibendi, nostro etiam
saeculo placuit plerisque medicis, neque
mutata mox theoria mali venerei et ulce-
rum venereorum prohibere potuit, quin
continuaretur usus eorumdem remedio-
rum.

19.

Vetus opinio de ortu ulcerum penis
ex decubitu humorum cholericorum ab he-
pate, quamquam a paucis saeculi XVII.
scriptoribus, e. g. IO. JOHNSTONIO c)
et FABRICIO HILDANO d) adhuc defen-
deretur, adeo tamen a plerisque reiecta
est, ut potius ad venenum aliquod, ad
miasma specificum, ad vaporem malignum
refugerent, cuius naturam perspicere se
non posse profitebantur. Sic primus Au-
rel. MINADOVS e) errorem externum di-
cit esse caussam infectionis, et producere

VI-

c) Idea vniuers. medic. pract. Lib. XI. p. 729. (ed.
12. Amsterd. 1644.)

d) Obseru. chirurg. Cent. III. obs. 8. (fol. Fr. 1646.)

e) De virulentia venerea. 4. 1596. c. 28.

virus ignotae naturae, quod vaporis forma destruat partes solidas primum et in membranis gignat *tarolos f)*, in glandulis autem gonorrhoeam. Eamdem sententiam defenderunt postea plures, ita tamen ut morbum quidem occultum, caussam vero dicent esse vaporem malignum, in aere circum volitarem, hepar tamen praecipue afficere, dum in corpus humanum per semen corruptum penetreret. Tali modo iudicauerunt Dan. SENNERTVS *g)*, Car. MVSITANVS *b)*, Guil. BALLONIVS *i)* cum aliis.

Mox vero cum Franciscus DE LE BOË SYLVIVS *k)* cuperet suam de fermentis et acore theoriam per vniuersum morborum imperium extendere, acidum quoque esse virus venereum statuit, quod Guil. COCKBVRNIUS *l)* praesertim experimen-
to quodam clarius ostendere sategit, vbi sanie vlerorum penis succis vegetabilibus colo-

f) Carolos.

g) Pract. lib. VI. P. II. c. 3. p. 1006. 1007.

h) De lue venerea. lib. IV. 8. 1698.

i) Consil. med. lib. II. 2. (Opp. T. III. p. 126. ed. Venet. 1739.)

k) Idea prax. med. App. tr. III. af. 9. 64. ed. 1674.

*l) Nature and causes of the gonorrhœa. 1723. 8.
Lond.*

colorem caeruleum impertire obseruauit.
Cum Heydentr. OVERCAMPION^{m)} etiam
Georg. BAGLIVVSⁿ⁾, Fried. HOFFMAN-
NVS^{o)}, Herm. BOERHAAVIUS^{p)}, Ge-
rard. SWIETENIUS^{q)}, Io. ASTRUCIVS^{r)}
et inumeri alii eamdem sententiam itatue-
bantur, ut telam adiposam et cryptas mu-
cosas haberent praecipuam sedem veneni
venerei.

20.

Curatia methodus his opinionibus su-
perstructa parum diuersa fuit a methodo
medendi, quam saeculi XVII. scriptores
commendant. In quoquinque fere vlcere
penis venereo phlebotomiam commenda-
uerunt, praeterea mercurium, praesertim
inunctionibus applicandum, aut mercu-
rium

^{m)} Verhandel. van de Pocken K. IV. p. 517. Alle
de medic. en philos. Worken. 4. Amst. 1694.

ⁿ⁾ Prax. med. p. 96. Opp. ed Lugd. 1704. 4.

^{o)} Med. rat. syst. T. IV. P. V. c. 4. §. 9.

^{p)} Tract. de lue venerea. p. 50. --- Praef. ad Aphro-
dif.

^{q)} Comment. ad BOERH. Aphorism. 1445. T. V.
p. 396.

^{r)} De morib. vener. Lib. II. c. 2. §. 4. p. 103. (ed.
1738. Paris 4.)

C

rium dulcem cum decoctis lignorum, saf, safras, sarsae parillae, guaiaci, dulcama, rae, chiae aut mezerei, deinde vero externe varia caustica mercurii praeparata, aut tutiam et vitriolum album. — Ea spciatim, quam ASTRVCIVS ¹⁾ proposuit, curatiua methodus, adeo futilis videtur et superficiaria, vt theoriam solummodo, neque praxin excoluisse auctorem pateat.

Circa medium saeculum nostrum mercurii sublimati corrosui usus iterum encomiis magnorum virorum elatus adeo communis euasit, vt ne simplex quidem ulcus penis sanare auderent medici absque hoc remedio. — Anton. Nunnez Ribeiro SANCHEZIVS ¹⁾), qui a Rossiae incolis dicerat methodum, mercurio sublimato utendi, primus commendauit hoc remedium Gerardo SWIETENIO, cuius operox ab omnibus fere chirurgis in usum vocabatur. Experientia vero mox docuit, internam eius exhibitionem in ulceribus praesertim virgae, adeo ancipitem esse ac periculosis stipatam sequelis, ut reiiceantur

¹⁾ I. c. p. 285. sq.

²⁾ Phil. Fried. GMELIN et GAERTNER diff. sistens specificam methodum recentiorem cancri sanandi. 1757. 4. Tubing ... A. N. R. SANCHEZ vermischt Schriften. 8. 1788. Nürnberg.

tur non multo post a pluribus doctis expertisque medicis, ex quibus allego principes: Car. Fried. HVNDERTMARK *a*), Io. Iac. HVBERVM *x*), Leon. El. HIRSCHELIVM *y*), PIBRACVM *z*), Sam. HAHNEMANNVM *a*) et Christ. GIRTANNERVM *b*).

Sic quoque cicutam nostris temporibus varii, Ant. DE STÖRK *c*) suasore, in ulceribus penis adhibuerunt, dum praefertim refractaria viderentur; ex Io. ANDREI *d*) analysi huius remedii tamen patet, neque securum, neque efficax esse semper.

21.

His expositis, quae ad historiam theoriae et curationis ulcerum virgae pertinere

C 2 vide-

- a)* Progr. de ozaena venerea. 4. Lips. 1758.
- x)* Nov. act. phys. med. acad. nat. curios. Vol. III. ann. 1767. obs. 100. p. 527.
- y)* Beobachtung. über den innerlichen Gebrauch des Sublimats. 1767. 8. Berl.
- z)* Mém. de l'acad. royale de Chirurg. T. IV. 1768. p. 153.
- a)* Ueber die venerische Krankh. S. 200.
- b)* Ueber die Lustseuche Th. I. S. 360. sq.
- c)* Lib. de cicuta. obs. 35. (8. Vienn. 1760.) — Iof. QVARIN tent. de cicuta obs. 12. 13. —
- d)* Obseruat. upon a treatise etc. 1761. 8.

videbantur, accingo me iam ad opinionem
meam de natura, prognosi et medela eo-
rumdem affectuum explicandam.

22.

Diagnosis vlcerum virgae in eo praecipue versatur, ut discrimen pateat inter
vlcera virgae a laesioribus cuiusuis generis,
et vlcera vere venerea. Hoc quidem insig-
nem parere saepius videtur difficultatem:
cum antiqua iam sit obseruatio, ab immun-
ditie glandis et praeputii, quae nimiam
castitatem sequi solet, oriri saepenumero
excoriationes imo vlcerationes harum par-
tium, quae vero ne villam quidem infectio-
nem venereum supponunt. Huc quoque
pertinet obseruatio, quam in iuuene ma-
nustupratinibus dedito instituit medicus
huius ciuitatis, quod nempe blennor-
hoeam benignam sequeretur vera exulce-
ratio glandis, quae quidem minime mer-
curialibus sed stypticis tantum et iis reme-
diis tractabatur, quae omnino status mor-
bosus generatim requirere videretur. A ni-
mio et immoderato coitu, praesertim cum
virgine satis angusta, excoriatur nonnun-
quam aut laeditur glans et praeputium, ne-
que

que tamen vlla adest suspicio infectionis venereae. — Multum ideoque interesse videtur, ut curatius dignoscantur tales affectus ab ulceribus venereis.

Haec quidem maxime signantur sensititate praeternaturali, doloribus punctoriis, qui quoque profundum petunt. Ipsum ulcus marginibus duris, callosis, albidis circumcingitur, in fundo ulceris lardacea quasi materies obseruatur, et in ambitu ulceris rubor insignis eminet. Partes, quibus ulcus cancrosum inhaeret, plurimum tumoribus tentantur, arcte in circuitu terminatis. Ulceris profunditas maior est, dum pendet ab infectione venerea, quam cum ab aliis caussis deriuatur: hujusmodi enim ulcera latius serpunt et amplius diffunduntur.

His praesertim signis differentia patet inter venerea eaque ulcera, quae saepius hydrargyrosin sequuntur, periculosa quidem, sed ichorosa, fluidiori sanie et marginibus flaccidis, fungosis conspicua, nonnunquam tamen aegre discernenda ab infectione venerea. — Dum adest autem complicatio scorbutica, alia obseruantur phaenomena, quae puram adhuc adesse venream diathesin haud amplius docent. Pa-

tet



tet enim in his infectio venerea ex historia morbi, neque tamen negari potest, scorbuticam aegri diathesin aliquid afferre mutationis in marginum madida, rosea, flaccida structura, in latiori ambitu vlcerum et sanie aquosa adeoque acri, vt omnes vicinas partes arrodat.

Haud minoris momenti esse videtur discriminem vlcerum virgae, quae immedia te post infectionem, et illorum, quae in decursu luis ipsius oriuntur. Haec enim longe minorem ostendunt sensilitatem, maiorem autem pertinaciam, neque facile ad suppurationem perduci possunt. Discrimen vlcerum penis idiopathicorum et sympatheticorum summi est momenti, neque curatiua methodus aliter determinari potest, nisi respectu habito ad tempus morbi, quo apparent.

23.

Post infectionem ipsam quae immediate sequuntur, vlcera solent apparere ab unius nychthereri ad aliquot septimanarum spatium: neque negari potest experientiarum copia, quibus constat, omnino per plures septimanas protrahi posse inter-

interuallum inter infectionem et ulcerum apparitionem.

Frequentissima ulcera reperiuntur ad coronam et fraenulum glandis, neque tam rariora sunt in glande ipsa, quam vulgo creditur. In praeputio tamen solent esse maiora ambitu quam in corona aut in glande ipsa. Saepius obseruauit ulcerum cateruum per totam glandem dispersorum, minimorum, eamque figuram referentium, quam *choux-fleur* Galli vocant.

24.

Theoriae recentiorum de ortu ulcerum penis ipse quoque assentior. Virus enim venereum stimulo validiori praeditum, agens in superficies corporis nostri, separationi humorum destinatas, eam mox in solidis partibus producit murationem, quae alteracioni humorum secretorum et expulsioni materiei nocuiae apta est. Dum autem virus venereum eas adgreditur superficies, quae porosae sunt et secretioni haudquaquam inseruiunt, necessario sequitur destruacio partium solidarum a valido stimulo, et inde alteratio humorum, qui vasis continentur. Haec quidem videtur

exul-



exulcerationis esse vera causa, quae dum oritur, *prima* est species ulceris virgæ. *Altera* vero in laesione vasis cuiusdam lymphatici, aut in inflatione eiusdem consistit, quam tamen resorptio veneni in massam sanguinis haud adeo frequenter sequi solet.

Symptomata, quae concomitantur ulcera virgæ, praetereunda puto, nisi ad sympathiam consilia transtulero, quae inter testiculos, funiculum spermaticum, tunicam darton et cutem scroti obseruatur. Pendere quidem haec videtur a nexu nervorum spermaticorum cum ramis nervi pudendi communis, et producit varios dolores testiculorum, imo erysipelatosam inflammationem cutis scrotum inuestientis. Hoc quidem symptoma, a nemine fere animaduersum, adeo commune videtur fuisse hac praecipue æstate praeterlapsa, ut vel leuissima ulcera penis venerea, bullas crystallinas, concomitatum fuerit. Superfuit idem symptoma, sanatis iam ulceribus, adeoque pertinax fese monstrauit, ut effugeret omnes fere artis conatus.

Sicq; aliam ministratio 25. Iu. subitam curio

Quod *prognosin* huius mali attinet, ne
vllum quidem vlcus penis venereum natu-
ra ipsa sanari, effatum est scriptoris, sena-
toria grauitate et quasi e Delphica tripode
commenta sua et opiniones pronuncian-
tis e). Experientia autem ipsa satis refu-
tatur haec propositio: namque *altera species*
vlceris virgae, lymphatica vel crystallina,
non solum saepius natura ipsa sanatur,
absque vlo artis auxilio, verum etiam re-
forptionem virus venerei ne semper qui-
dem admittit.

Vlceræ autem *primæ speciei*, praeposte-
re sanata, aut solis externis remedii tra-
tata, aut subito euanescentia, veram luem
attrahere certo certias experientia constat.
Imo retropulsum virus venereum ex vlce-
ribus penis nonnunquam tabem ipsam aut
phthisin vlcerosam pedissequam habuit.

Quo pauciora adsunt vlceræ penis, eo
magis arceps euadit curatio: semper phi-
mosin attrahere videntur, praesertim, dum
non rite mundantur. Ob eamdem ratio-
nenm vlceræ, quae in glande oboriuntur, ra-
rius multo curam renuunt, quam quae in
praeputio apparent.

Quo

e) Christ. GIRTANNER über die Lustf. Th. I. p. 209.

Quo tardius vleus venereum penis post infectionem apparet, eo pertinacius obseruatur. Dum mox post infectionem oritur, maior proclivitas adest ad inflammationem et suppurationem: dum autem nimis tarde animaduertitur, infectio massae humorum fere semper timenda est.

Ipsa vlcera eo leuiora curatu sunt, quo rubicundiora ambitu, quo crassior matres purulenta, quo regularis magis ipsa peripheria: alias in malignitatem tendunt.

Altera species vlcerum penis ea ratione periculum attrahit, dum diutius persistunt, et infectionem massae humorum secum ducunt.

26.

Vt vlcera penis curentrur, tres fere requiruntur indicationes:

1. Exstirpetur virus vlcerosum, exicitetur inflamatio benigna, quam consolidatio partium aut suppuratio saltim sequitur.

2. Aboleatur nimia partium sensilitas: quae periculum alias summum attrahit.

3. Caeatur infectioni massae humorum, quae quidem non tam cito, sed saepius tamen sequi solet.

27.



27.

Primam indicationem sequimur, dum caustica, irritantia adhibemus. Praeter extirpationem ope cultri, et applicacionem lapidis caustici, quas penitus relegandas puto, cum ipse malignam et cancerfam indolem ulceris comitari obseruaue-
rim haec applicata remedia; *mercurium prae-cipitatum rubrum*, *mercurium sublimatum cor-rosuum* et *calcem viuam* valde saluti esse ex-pertus sum. Cautelae tamen sequentes in his remediis adhibendis non negligenda:

1. Nonnisi in ipso initio ulceris vene-re applicanda puto, cum in decursu om-nino resorptio videtur iisdem accelerari et nimia sensilitas adhuc augeri, ideoque gangraena sicca sequi posse. Eadem ni-mia sensilitas dignoscitur ex rubicunda fa-cie ulceris, et doloribus pungentibus in ambitu.

2. Nisi eschara sequatur statim usum causticorum, subito abstinere ab eorum applicatione: eo enim modo facillime re-sorptio imminet.

3. Curato, ut calx viua recens para-ta sit, ut mercurius sublimatus adhibeatur forma fluida, et mercurius praecipitatus tuber forma solida.

4. Ab-



4. Abstineas a balsamicis, pinguibus vnguentis, quibus tamen rite miscere potest mercurius praecipitatus ruber, dummodo vlcus aliquatenus purum sit. Alias inflammationi manifesto obstant.

Forsan *calomelas* SAVNDERSII, aet vstum SCHWEDIAVERI, suffumigaciones cinnabarinae ANDRÉI oppido prosunt: ipse tamen, quod praesertim duo posteriora remedia attinet, expertus non sum eorumdem efficaciam.

28.

Quemadmodum caustica praecipue proficia sunt in initio morbi, et dum constitutio aegri phlegmatica, vlcus ipsum flaccidum, laxum effundit aquosam saniem: ita quoque, vbi nimia adeat sensilitas, inflammationis gradus nimis aductus, constitutio aegri nimis irritabilis, nil praestare videtur sopientibus, sedantibus, opiatis, et inter haec *opio puro* in aqua destillata soluto. — De saturninis dubito, an saepius multo prosint, quam noceant; nunquam exhibui eadem, nisi dum vlcus fuerit idiopathicum, inflammatio insignis: neque tamen applicau, nisi opio nupta.

Vniuersam antiphlogisticam diaetam necessario requiri puto: affectus, vini portus

tus et corporis exercitatio nimia praecipue viranda: in ipso vehementissimo inflammationis gradu hirudines in femorum interna facie applicandae, aut venae-sectione ipsa tentanda videtur, quippe quae, licet a multis taxetur, multa tamen emolumenta affert, dummodo in corporibus maxime irritabilibus, iuuibus, plethoricas, et in ipso inflammationis gradu summo adhibeatur.

29.

Quod tertiam attinet indicationem, discrimin hic quidem maximi momenti esse puto inter vlcera idiopathica et secundaria aut symptomatica. Illa enim non frequenter omnino transeunt in vniuersam luem, dummodo rite tractentur: attrahunt saltim bubones, qui antecedunt infectionem massae humorum.

Fac, ne diu persistat vlcus penis primarium, quo facto ne vlo quidem modo resorptio venit metuenda. Facilior curatio fit iisdem remediis topicis vel causticis, vel sedantibus, prout eadem indigitaimus. Quandoque bubones oriuntur tanquam pedissequi vlcerum, neque tamen topica remedia eosdem produxisse puto,
sed

sed iam ante applicationem topicorum virus vlcerosum resorptum erat.

Mercurialia interna, nimirum mercurius sublimatus, aut vnguenta mercurialis a plerisque recentioribus in primariis vlceribus quoque commendata, omnino necessario requiruntur in lue ipsa et in vlceribus secundariis, symptomaticis; verum enim vero ne noxia, tamen inutilia plane videntur, dum virus venereum nondum fixum statumque locum obtainuerit. Caussantur enim fere semper mala plurima topica et eruptionem morbi venerei.

30.

Cum autem aliquid nimis facere quam negligere aliquid malumus in vlceribus tarde erumpentibus aut malae indolis. opiata interne danda maxime suadeo et roborantia cum parua mercurii copia. *Corticem* praecipue peruvianum cum aqua calcis infusum, aut quassiam, extracta amara magnopere proficua puto ad resorptionem auertendam, dum calomelanos aut mercurii sublimati parua copia simul exhibeat.

omniosi ciborum orecum mump bon
o ; amillivei non multum erpet. et
vi eret : rebus monachis. etiamq[ue] q[ui]
elle mabonibus rancoribus ergo
tutiv adi de aliis dicitur. censu
eret. q[ui] n[on] m[al]o[m] r[ec]allat h[ab]et d[icitu]r
log. amib[us] q[ui] coluntur sicut q[ui] n[on] e[st] q[ui]
iq[ue] q[ui] erroram q[ui] erit loy. et i[st]o

THESES.

I.

Affirmo, in bubonibus *primariis*, siue iis,
qui ab infectione immediata originem
ducunt, suppurationem promouendam
et operationem chirurgicam instituen-
dam esse; in bubonibus vero *secundariis*,
siue ab infectione immediate originem
non ducentibus, curationem antiven-
ream vniuersalem adhibendam esse.

II.

Syringem, quo plerumque ad injec-
tiones vrethrae in gonorrhoea uti-
m[us], vitiis laborare obseruaui. Cum
enim, vti liquet, in gonorrhoea vene-
num venereum in fossa nauiculari penis
plerumque situm sit, syrinx modo di-
ctus vero in apice tubuli, qui vrethrae
immittitur, apertura praedita sit: injec-
tio v[er]terius quam debet propellitur.

Quod

T H E S E S.

Quod quum vero nonnullis incommodis, iisque interdum non levissimis, e.g. dysuria, occasionem det: hanc syringis conditionem reformandam esse censeo. Hac vero ratione ab istis vitiis liberari posse persuasum mihi est, nempe: si syringis tubulus longitudinis pollicaris, vel aliquantulo majoris, in apice clausus, cuius latera duabus aperi-bris instruerentur, praefigatur. Hoc modo injectio non nisi fossae nauiculari insistet.

III.

Contendo, nitrum in gonorrhœa non solum inutile, sed etiam nocium esse.

三

W 18

PICA





7

DE
VLCERIBVS
V J R G A E
TENTAMEN
HISTORICO - CHIRVRGICVM

FA

D. F

PRO
PHYSI

DIRE

MED

ERV

MAR

